

motus primaria et solitaria est (c), sed uti aliquid, quod agit quidem, sed et plus patitur, seu quod movetur quidem, at et quantumcunque movet; quod antea quidem vi pulsationum protruditur, dat autem huic mutuatiū dein impetum Diastroles et systoles (d). Ergo non est illa primaria motuum causa, sed secundaria, et aliquid reagens in hac actione. Nam statim ac motus evanescunt, totus etiam cursus humorum celerrime cessat.

§. 15. Verum qui omnia ea, quae antea dicta sunt, bene et accurate perpendit, is facile perspiciet, quomodo ipsa natura ex corpore expellit (§. 12.) omne id quod usum aequabilem motuum laedit, quod est causa morbi efficiens (§. 11.), quae primaria vocatur, et proxima (e). Simulac enim ipsa natura a causa efficiente irritatur (§. 5.), vi vero celerrima sensationis nervorum excitatur (§. 4.) (f), contentaque systole et Diastrole cordis et arteriarum, compressioneque et violencia, quae a figura eorum provenit, valide concitatur (g); et adhuc extensione et contractione reciproca, vi nempe elastica flexibilium fibrarum muscularium,

faci-

(c) Hal. ib. § 58 sequ. (d) id. ib. § 91, 97, 113, 129 sequ. (e)  
Francisc. Home in Princip. med. L. I par. II sect. III 2 — 4  
(f) Gaub. ib. § 170 — 175, 208. Home ib. L. I, part. III sect.  
I. 1 — 4 (g) van Swieten ib. T. II. p. 17 seq.